

A D D E N D A

AD CELEBERRIMI PALLASII ZOOGRAPHIAM
ROSSO-ASIATICAM.

A V E S.

STRIX TURCOMANA, MÜLL.

St. aurita, albido-ferruginea, fusco varia; cauda
elongata, fasciis quinque fusco variis.

Unum tantum hujus strigis exemplar inter mare Caspium et lacum Aralensem in littore alto saxoso, apud incolas *Tschink* dicto, inveni hieme; cum autem a ceteris congeneribus valde differt, sub proprio nomine describam.

Descriptio. Non multo brevior Bubone, sed multo gracilior et colore laetior. Caput auritum supra ferrugineum fusco maculatum, auribus magnis ferrugineis, apice nigris; rostro nigro. Collum et pectus fere

ruginea, lituris longitudinalibus fuscis; abdomen et crissum pallidiora, vel ferrugineso-albida, lituris longitudinalibus taeniolisque transversalibus fuscis varia. Supra avis pallide ferruginea et albo maculata, ubique fusco fasciatim variegata et irrorata. Remiges ferruginei fusco fasciati, apice obscuriores: primus totus, secundus dimidio, tertius apice serratus. Cauda valde elongata, (in pelle sicco $6\frac{1}{2}$ pollicibus alis longior), pallide ferruginea, taeniolis numerosis fasciisque quinque distinctioribus latis fuscis varia. Pedes cum digitis hirsuti, ferruginei, concolores; ungues magni nigri. — Longitudo pellicis sicci duo pedes a capite ad caudae apicem.—

STRIX DASYPUS. BECHST.

St. Tengmalmi. Linn.

St. supra fusca albo maculata, subtus alba fuscescenti transversim maculata, remigibus rectricibusque albo maculatis, pedibus dense plumatis. :

In silvis et lucis provinciae Casanensis haud rara occurrit.

Descriptio. Supra fusci coloris, paululum in griseum vertentis, maculis rotundis dorsi, guttulisque capitis albis. Caput grande; peplum magnum sordide albidum, circulo fusco alboque variegato terminatum;